VITAE SANCTORUM

Baumgartenberg (?), 1. Hälfte 13. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=28694
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner)

super his per quos veniat. Iam ab eo regrederetur: in spiritu et virtute Helye revocans eum propheta dixit: et nomine fratris cuiusdam de domo illa premisso, de occultis quibusdam me audiente mandavit ei ut corrigenda corrigeret; sin autem iudicium domini in proximo super se expectaret. Stupefactus ille, quis hec ei dixisset inquisivit. Quis, quis inquit dixerit michi? tu vade et dic que ego dico tibi. ne dissimulaveris, ne te quoque involvat par pena peccati. Mirabar super hoc: sed miratum michi in simili causa multo mirabiliora de eo narrata sunt. Guido namque frater eius maior natu inter fratres suos, cuius gravitatis et virtutis fuerit vir, omnis scivit qui scire eum potuerit. Hic cum simul aliquando essemus et de huiusmodi loqueremur, et quererem ab eo sicut iocunde ad amicos collocutionis esse solebat: fabule inquit sunt que auditis. Cumque suo more et solito studio virtutes fratris deprimeret, michi tamen nollet esse molestus: que inquit nescio non dico vobis, sed unum narrabo quod scio et expertus sum, multa ei in oratione revelari. Deinde narravit michi quomodo cum primo mellifua illa spiritualium apium alvearia nova de se examina circumquaque proferre, novasque ex eis domos ordinis sui edificare cepissent, petente et agente domino Willelmo episcopo in episcopatu Catalaunensi, eam que Trium Fontium dicitur construxerunt. Ad quam cum abbatem cum monachis emisisset, domnum Rogerium virum nobilem secundum seculum, sed nobiliorem sanctitate, et viros quosdam filiis forme cum eo, spiritualis pater filios quos emisit non dimisit, sed paterna sollicitudine et pia affectione cum eis erat. Unde cum die quadam soli simul essent abbas et ipse cuius hec relatione didici, et de fratribus ipsis ad alterutrum loquerentur, subito alte suspirans durius aliquid solito de eis corde suo sibi respondente: vade ait fratri suo ora pro eis, et quicquid de eis ostenderit tibi deus refer ad me. Ipse enim gravissima valitudine ea hora laborans in lectulo tenebatur. Ad quod ille vehementer expavescens: absit inquit, non sum qui hoc michi noverim orare, qui hec merear impetrare. Perseverante tamen eo in sententia, ivit et oravit. Orans igitur pro singulis inquisitum prevaluit, pro singulis effudit ad dominum animam suam. Tantaque pro singulis in orando perfusus est suavitate conscientie, tantaque impetrandi fiducia et omni gratia spiritualis consolationis, ut in omnibus certa fide exauditum se exultaret spe eius, exceptis duobus in quibus oratio titubavit, hesitavit devotio, fiducia defecit. Quod cum retulisset ad eum a quo missus erat, ille statim pronunciavit de illis duobus, quod postea probavit eventus.

Abbas autem Rogerius et aliqui qui cum eo erant, ipsi fuerunt quos vir dei aliquando de Catalaunensi traxerat civitate, de quibus vel in quibus est tale simile quid factum. Cum enim episcopi gratia Catalaunum frequentaret,